

Ibi ex sententia, quam attulimus Cornelii a Lapide, dictum, quod « concubitus filiae cum patre est contra omnem naturae pudorem, unde nullo casu aut necessitate licitus est, nisi Deus dispenset, eumque concedat: » sunt cit. interpretis verba, in *Genes.*, cap. XIX.

Præstat ad maiorem rei claritatem Bellarminum audire, qui, postquam de conjugii naturali pudori adversantibus atque indispenabilibus (49) disserit, in hunc sane modum concludit: « Putamus (sic ille) a Deo dispensabilia esse conjugia omnia in quovis gradu: nullus enim est gradus, in quo conjugium sit intrinsece malum, ut repugnet illud fieri bene. Quod ex eo patet quia nullus gradus tollit finem matrimonii primarium, vel secundarium, licet aliquo modo impediatur: nam ex conjugio etiam filii cum matre nasci possunt liberi et educari, etc., neque legi ullum, qui expresse hoc negaverit. Nam ipse etiam Cajetanus, in 2-2, q. 154, art. 9, gradum istum primum in linea recta, dicit habere per se et naturaliter annexum impedimentum conjugii; tamen ibidem scribit conjugium in hoc gradu dispensabile esse ab Auctore naturæ.

« Et aliquod argumentum ad hoc probandum afferri potest ex facto filiarum Lot, quæ cum existimarent nullum omnino virum in mundo superesse, crediderunt sibi licitum esse ex proprio patre liberos quærere, *Gen. XIX*. Et quanquam a peccato non excusentur, quia debuissent curam istam generis propagandi patri relinquere, aut certe cum eo communicare consilium, et ipsius expectare iudicium, et non prævenire, ac patrem decipere; tamen factum ipsum indicat, in tam extremo casu non esse omnino contra humanam rationem ejusmodi conjugium, præsertim si accederet auctoritas dispensantis Dei. Imo Chrysostomus, homil. 44 in *Genes.*; Ambros., lib. 1, *De Abraham*, c. 6, eas omni crimine liberat. August., lib. XVII, *contra Faustum* cap. 44 (50) peccasse dicit, non tam ardore libidinis, quam nimio amore posteritatis. » *De matrim.*, lib. 1, cap. 28.

#### ARTICULUS VIII.

*De revalidatione, seu ratificatione matrimonii invalide contracti.*

Artic. novus edit. *Casinensium*.

##### SUMMARIUM.

1. Revalidatio matrimonii quid importet, et quando locum habeat. — 2. In probabilitate valoris matrimonii jam contracti potest illud haberi ut validum, modo dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesia appositum. — 3. An ad revalidandum matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ jam celebratum, necesse sit illud iterum renovari coram parocho, et testibus ad n. 6. — 7. Quando impedimentum intelligatur esse occultum: ad n. 11. — 12. Utrum ma-

(49) Ex sententia Bellarmini: « Jure naturæ interdita sunt conjugia in primo gradu consanguinitatis, tam in recta linea, quam in transversa: et in primo gradu affinitatis in linea recta tantum. » *De matrim.* lib. 1, cap. 28. Cæterum vide dicta a Lucio

trimonium sit revalidandum coram parocho, et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti fuerint consensu impediti. — 15. An quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum sit necessarium ad illud revalidandum, ut, ablato impedimento, uterque conjux fiat conscius de nullitate matrimonii ad n. 17. — 18. Quotuplici modo possit renovari, seu exigi consensus a parte inscia impediti post obtentam dispensationem. — 19. Quid in casu defectus consensus, nempe quia fuit fictus, vel motu extortus, quando matrimonium contractum fuit, ad n. 26. — 27. Quid in casu erroris personæ, etc.

(1. Quoniam experientia patet, persæpe matrimonia invalide contrahi vel ob impedimentum aliquod dirimens publicum, aut occultum, idque uni soli, vel utriusque conjugii notum; vel ex defectu consensus ex parte unius, vel utriusque est tantum simulatus, aut fictus consensus, vel ob metum injuste incussum: aut adest error circa substantiam, seu individuum personæ, aut circa conditionem: de modo revalidationis talium matrim. juvat singillatim disserere.

(2. Ac primum prænotandum communem esse DD. sententiam, quod cum agitur de matrimonio revalidando, propter bonum animarum præsumitur Ecclesia in impedimento (si forte adsit) dispensare, semper ac adest de illius (matrimonii) valore vera probabilitas. Unde, ubi dubitatur inter DD. de valore alicujus matrimonii, bene potest haberi illud ut validum, si vere probabile sit de jure validum esse; modo dubium vertat circa impedimentum ab Ecclesia appositum, nam in impedimentis de jure naturali non potest Ecclesia dispensare. Ita D. de Ligorio, *Theol. mor. de matrim.*, n. 1109.

(3. Porro ut ab impedimento occulto in matrimonio nulliter contracto exordiamur: « Quæritur: An ad revalidandum (hujusmodi) matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ jam celebratum, sit iterum revalidandum coram parocho et testibus. Prima sententia affirmat, et hanc tenent Comit. Conc. et Pont. cum Palac. Gutt. et aliis paucis. Ratio, quia assistentia parochi et testium assignatur a Tridentino ut forma, sive ut substantiale requisitum matrimonii, forma autem contractus tum adhibenda est, cum contractus celebratur; si igitur primum matrimonium fuit nullum, ergo quando de novo, et revera contrahitur, debet forma adhiberi.

(4. « Secunda vero sententia probabilior et communis negat. Ratio, quia concilium præscribendo parochi præsentiam et testium ad valorem matrimonii, merito præsumitur noluisse hunc casum comprehendere; concilium enim per illam præsentiam tantum voluit occurrere peccatis, quæ consurgebant ex nuptiis clam celebratis, sed in nostro

nostro in art. 5 hujus rubricæ, sub n. 65 et seq., ac insuper additiones nostras sub art. 6, ad n. 28, sub v. AFFINITAS, ubi, de primo gradu affinitatis in linea recta latius cum Benedicto XIV disserimus.

(50) Vide *Addit. Casinenses*, sub cit. art. Lot.

casu matrimonium jam publice est contractum; et ideo sufficit novum tantum ponere consensum; ita Nav., Natal. Alex., Fagnan... Haberi... Tournel., etc.

« Item N. SS. P. Benedictus XIV, notif. 87, n. 62, cum Pontas, Van-Espen et communi testatur (51). Et ideo quando agitur de matrimonio contrahendo cum impedimento occulto, S. Pœnitentiaria in dispensando hæc utitur formula: « Cum eodem latore, quod « matrimonium cum dicta muliere, et uterque « inter se publice, servata forma concilii « Tridentini, contrahere possit, misericorditer dispenses. » Quando vero agitur de matrimonio jam publice contracto in facie Ecclesiæ, utitur his verbis: « Cum eodem « latore, ut dicta muliere de nullitate prioris « consensus certiorata (sed id caute, ut latoris « delictum nusquam detegatur), matrimonium « cum eadem, et uterque inter se de novo se « crete ad evitanda scandala, contrahere « valeat, dispenses. » Unde observa quod in primo casu, quia necessaria est præsentia parochi, dicitur, *servata forma concilii*. In secundo vero dicitur, *secrete ad evitanda scandala*, id est, ut patet, sine parocho et testibus. Et sic etiam pluries declaravit S. C. Concil., ut referi idem Benedictus XIV, etc. (*vide in nota*)... » D. de Ligorio, *De matrimonio*, n. 1100.

(5. « Objicit Pontius... (prosequitur D. de Ligorio) oraculum Clementis VIII, quod in extensum refert... ubi narrat quod, cum quædam mulier ex metu cuidam nupsisset, per Stephanum Tucium ad petitionem Paul. Comitoli, consultus fuit Clemens VIII qui respondit necessarium esse consensum utriusque coram parocho et testibus, admonito prius marito de matrimonii nullitate; sed, ad evitandum scandalum, se dispensare, ut secreto inter se contrahant, renovato consensu. Sed auctores nostræ sententiæ, et

(51) Præstat hic per extensum referre doctrinam Benedicti XIV qui, distinctione facta inter publicum et occultum impedimentum, sic habet, *Notif. seu Inst. ecclesiast.* 87, n. 62 et seqq.

« Magno studio disceptatum olim fuit, utrum novus hic consensus, qui matrimonium reipsa constituit, coram parocho, et duobus testibus peragendus videretur. Nam Tridentina synodus parochum ac duos testes præsentibus necessario requirit, dum matrimonium celebratur. Attamen nulla difficultas amplius superest, si discrimen inter occulta et publica impedimenta habeatur. Si matrimonium publice initum est coram parocho, et duobus testibus, et impedimentum quoque publice innotuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus iterum coram parocho, et duobus testibus præbeatur. Contra vero est, si matrimonium celebratum fuit coram parocho, et duobus testibus, et impedimentum dirimens occultum servatur. Tunc novus consensus certe præstandus est, sed clam inter contrahentes; nec amplius parochus, duoque testes requiruntur. Nam semel mandato Tridentini concilii jam paruerunt conjuges, cum primo matrimonio, licet interposito occulto impedimento, confecerunt.»

« Hæc ita (prosequitur Bened. XIV) decrevit pœnitentiaria S. Pii V Pontificis auctoritate, ut Navarrus fatetur, qui per tot annos eidem sacro tribunali operam præstitit suam. Id etiam probat

præsertim Salmat., Ronc., Spor., Holz., Boss., et Elb. multipliciter respondent, et 1. Quod illud impedimentum, licet occultum, cum tamen ortum habuerit ex metu incusso, erat obnoxium periculo publicationis, aut deductionis ad forum... 3. Quod de præfato oraculo non satis constat, prout constat de oraculo S. Pii V quod apparet comprobatum tot declarationibus S. C. decisionibus Rot. Rom. et praxi constanti S. Pœnitentiariæ. Ad rationem autem oppositæ sententiæ respondetur, quod concilium vult assistentiam parochi et testium, ad probandam validitatem matrimonii secundum externam apparentiam; cum autem matrimonium prius contractum jam externe reputatur validum, cessat ratio cur prædicta assistentia denuo requiratur. » D. de Ligorio, *loc. cit.* (52).

(6. Cæterum si matrimonio invalide contracto impedimentum evadit publicum, ita ut probari valeat, certum est apud omnes ad revalidationem adhiberi debere novam præsentiam Parochi et testium, hoc ipso enim, quod palam et in foro externo sciatur prius matrimonium publice contractum fuisse nullum, de novo publice contrahi debet, ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala. Reiffenst. ad 4, lib. ex. in *Append. de dispens. super impedi.*, etc. § 13 final., n. 610.

(7. Sed hic « Quæritur quomodo, et quando impedimentum intelligatur esse occultum, cum in litteris S. Pœnitentiariæ dicitur: *Dummodo impedimentum occultum sit?* Nav... cum *Glossa*... dicit esse occultum, quando factum fuit in præsentia quinque personarum... Unde concludit quod, ut aliquod crimen dicatur occultum, sufficit non esse publicum majori parti oppidi, vicinæ, vel collegii, ubi saltem immorentur decem personæ; et idem sentiunt Suarez...

sacra congregatio Concilii, uti tradit Fagnanus, qui per plures annos a secretis præclare munus gessit, idemque vulgo scriptores docent. Insuper, cum sacrae rotæ auditores hujus sententiæ veritatem in dubium revocassent, cardinalis Carafa congregationis Concilii præfectus duos ex iisdem auditoribus accivit, Seraphinum nempe, et Comitolum, quibus ostendit decreta a sacra congregatione super hæc re confecta, Pœnitentiariæ instituta, et S. Pii V, declarationi esse consentanea. Qua de re tribunal sacrae rotæ in posterum expositam paulo ante sententiam secutum constanter fuit. Etenim Tridentina synodus, cum jussit matrimonium contrahi coram parocho, et testibus, nihil aliud statuendum voluit, nisi clandestina matrimonia impedire... Quamobrem cum parochus ac testes primo matrimonio jam interfuerunt, quod rite celebratum putabatur, quia impedimentum nequaquam innotuerat, ideo satis est ut clam inter conjuges novus consensus præbeatur, cum ipsum matrimonium Sacrae Pœnitentiariæ facultate rite confirmandum est.»

(52) Benedictus XIV in cit. *Inst. ecclesiast.*, 87, n. 69, dicit. Oraculum Clementis VIII, tanquam authenticum agnoscere videtur. Hoc posito, non male fortasse Salmanticenses in eam iverunt opinionem, nempe tale responsum editum a prædicto Pontifice, ex eo quod illud impedimentum metus esset obnoxium periculo publicationis aut deductionis ad forum externum.

Azor. etc. Bene tamen advertit Fagnanus in cap. *Vestra*, De cohab. cleric., n. 117, hanc doctrinam, scilicet, quod factum non sit notum majori parti parochiæ, intelligendum cum grano salis; nam si in parochia essent mille personæ, perperam diceretur occultum factum illud, quod faciunt quadringenti vel quingenti. In nostro autem casu dicit Sanchez, lib. II, d. 37, n. 11, cum Henr. et Man., quod si impedimentum possit per duos testes probari, illud amplius non potest dici occultum, etiamsi non sit periculum, quod ad forum deferatur; quia tunc sequerentur eadem inconvenientia, quæ olim sequebantur ex matrimonio clandestino; nam probato impedimento, post contractum matrim., posset alter conjux alias nuptias inire.

(8. « Sed melius et communissime dicunt alii... cum communi... id tantum procedere, quando prudens adest periculum, quod res sit deferenda ad forum externum; et idem Sanchez videtur se retractasse lib. VIII, d. 34, n. 55, dum explicando ibi præfatam clausulam S. Pœnitentiariæ, *Dummodo impedimentum sit occultum*, dicit... illud dici occultum, quod non est publicum majori parti parochiæ, viciniæ vel collegii. Unde recte concludit N. SS. P. Benedictus XIV, notif. 87, n. 45, cum Navarro et Thesaurio, tunc confessario abstinendum esse ab exsequenda dispensatione, quando ex circumstantiis prudenter conjicere potest, impedimentum ex occulto posse fieri publicum. Cæterum cum iisdem auctoribus, et Syro impedimentum per se dici occultum, si notum sit in oppido sex solis personis, in civitate septem, vel octo, modo ab eis non fuerit divulgatum (53). » Sic D. de Ligorio, *De matrim.*, n. 1111.

(9. « Testatur autem Fagn., l. c., n. 118 (sic idem de Ligorio) S. Pœnitent. servare hanc praxim, quando crimen est notum tantum quatuor vel quinque personis, dispensat in eo tanquam occulto; sed ego scio S. Pœnitent. dispensasse in impedimento quodam consanguinit. noto decem circiter personis. Advertit vero idem Fagnanus, n. 120, hoc intelligi, quando a S. Pœnitentiaria dicitur in clausula simpliciter *occultum*, secus si dicatur *omnino occultum*, ut solet poni in impedimento criminis; quia tunc merito ait non dici occultum crimen, quod potest per duos testes probari. E contra notat præfatus Benedictus XIV, l. cit., n. 42, cum de Leone, Bon., Tiburt., Girib., et pluribus aliis, quod aliquando posset esse

(53) Hæc porro apud Bened. XIV, cit. *Notif.* seu *Inst. ecclesiast.* 87, n. 45: « Marcus Paulus Leo... hæc tradit: « Dicendum... notitiam duorum vel trium nec minus nocere, quominus aliquod delictum sit occultum. » Thesaurus etiam ita scribit: « Etiam si res sit nota duobus vel tribus, res occulta dicitur. Item si quinque vel sex personis in aliquo oppido, vel septem aut octo in civitate res nota sit, non dicitur publica, sed occulta. » *De pœn. Eccles.*, p. 1, c. 21. Idem affirmat irritam dici nequaquam posse dispensationem a Pœnitentiaria concessam illis etiam verbis superadditis, *dummodo*

crimen publicum materialiter, nempe si publicum sit Viciniæ, sed formaliter occultum, nimirum si ignoretur ab illa copula nasci impedimentum affinitatis, et tunc etiam potest impetrari dispensatio a S. Pœnitent. » *De matrim.*, l. et n. cit.

(10. Quæritur adhuc: « Utrum occultum impedimentum censeatur, quod quidem publice cognoscitur in eo loco, ubi contractum fuit, sive alibi: occultum tamen est, ubi degunt, qui dispensationem expostulant, et ubi dispensatio ipsa conceditur. » Navarrus sapienter admonet confessarium, ut minime exsequatur dispensationem, si forte quis majori pœnitentiario declaraverit crimen esse occultum in civitate v. g. Bononiæ, ubi vitam agit, et dispensatio tradenda est executioni, deinde silentio prætermiserit, idem crimen publicum esse Neapoli, ubi patratum fuit. Tunc confessarius reum hortetur ut ad Pœnitentiariam rursus confugiat, ipsique patefaciat, quod prius omisit, suum nempe crimen per urbem Neapolis esse divulgatum. Sin autem id totum expositum fuisse in supplicii libello confessarius deprehendat ex litt. S. Pœnitentiariæ, tunc absque ulla difficultate pareat, et litteras exsequatur. » Ita Bened. XIV, cit. *Inst. eccles.*, 87, n. 46.

(11. Amplius inquiritur: « Utrum impedimentum, quod fuit aliquando publicum, diuturnitate temporis occultum fieri possit, ita ut dispensatio tribuenda videatur. » Equidem M. Paul. Leo, pag. 133, sic respondet: « Notandum... non implicare, quod aliquid a sui origine et principio fuerit publicum, et tractu temporis fiat occultum. » Tempus enim omnia devorat... et quæ non delet ab hominum memoria diuturnitas temporis? Hoc autem genus occultorum etiam pluries meo tempore Signatura Officii S. Pœnitentiariæ admisit; sed non eodem modo in omnibus casibus: Dispensationibus matrimonialibus per Decennium: in irregularitatibus per viginti et triginta annorum spatium. » Bened. XIV, *ib.*, n. 47.

(12. Iterum quæritur: « An matrimonium sit revalidandum coram parochio et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti consci fuerint impedimenti? Affirmat Sanchez... cum Henr. Led. et aliis, quia, ut ait, tunc fuerunt testes non valoris, sed potius nullitatis talis matrimonii; et idem sentit Croix... cum Aversa et Kugler, etiamsi tantum unus ex testibus impedimentum noverrit. Negant vero Conink... Tambur. et alii... quia assistentia parochi et testium fuit

occultum, licet impedimentum notum sit tot hominibus, quot superius indicavit. Tib. Navar. idem plane fatetur, *Manuduct.*, etc., pag. 19. « Res adhuc est occulta, si in oppido est nota quinque aut sex personis, in civitate vero septem aut octo, adhuc occulta censeri debet, modo scilicet ab illis non fuerit divulgata. » Syrus, pag. 260, hæc habet: Si delictum sit notum duobus vel tribus alicujus loci, aut communitatis, aut capituli, occultum censetur. Si in oppido sit notum quinque, aut sex personis, in civitate vero septem aut octo, adhuc censetur occultum. »

præscripta a Tridentino, non tam ad testandum validitatem matrimonii, quæ multipliciter eis potest esse ignota, quam ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem conjuges alias nuptias ineant. Utraque sententia est probabilis, sed secunda videtur probabilior; concilium enim sess. XXIV, cap. 1, requirendo assistentiam parochi et testium, jam causam exprimit, ne quis fraudulenter plura contrahat conjugia, et minime indicat vellet amplius, ut testes certiorerentur de matrimonii valore: et cur? Quia, » ut aiunt Salmat., « Ecclesia non adducit testes ad probandum valorem matrimonii, sed celebrationem illius externam » D. de Ligorio, n. 1112, l. c. — Intellige dummodo de impedimento publico non agatur.

(13. Quæritur insuper: « An quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, sit necessarium ad illud revalidandum, ut, ablato impedimento, uterque conjux fiat conscius de nullitate matrimonii? Prima sententia affirmat... Ratio, quia hoc matrimonium non potest fieri validum, neque per primum, neque per secundum consensum præstitum post dispensationem: non per primum, quia quod fuit nullum ab initio, tractu temporis validari non potest; non per secundum, quia hic novus consensus non est validus, nisi fiat animo contrahendi illo tunc matrimonium, et hunc animum non habet, qui ignorat matrimonium prius contractum esse nullum, vir enim, qui tunc consentit ignorans nullitatem, consentit quidem cum errore, putans consentire in uxorem jam suam, ergo cum erret in substantia, consensus minime valet.

(14. « Secunda vero sententia... dicit non esse opus ut pars ignara impedimenti moneatur de nullitate matrimonii, sed sufficere quod, ablato impedimento, pars, quæ conscia est de illo, consensum ab altera accipiat. Probatur... quia prior consensus, licet suo effectui caruerit ob impedimentum a jure positivo oppositum, tamen de jure nature fuit validus, cum fuerit præstitus erga personam de jure nature habilem ad contrahendum, ut sapienter considerat Bened. XIV, notif. 87, n. 80. Unde fit quod, cum removetur impedimentum per dispensationem, perseverante ex una parte primo consensu conjugis ignorantis impedimentum virtualiter per usum matrimonii, nempe per conjugalem copulam, cohabitationem voluntariam, et alia signa externa, quæ ex primo consensu procedunt; et accedente ex altera parte consensu interno conjugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia externa signa, tunc consensus utriusque moraliter uniu-

(54) Hæc habet Bened. XIV, in cit. *Notif.* seu *Institut. eccles.* 87, n. 68, ibi: « Nos... pro ingenii nostri tenuitate judicamus, haud probari posse illorum opinionem, qui instructionem solum, non vero conditionem iudicii per illam S. Pœnitentiariæ clausulam arbitrantur; nam certissimum est apud jurisperitos, quod vera conditio ex ablativo absoluto consequitur: qua de re prætermitti nullo modo

tur, et matrimonium convalidant. Ac propterea dicunt Abbas, Gonzal., Felin., etc., apud Boss... posse Papam dispensare in matrimonio nullo a novo consensu præstando: et de facto per Clementem XI, ex brevi edito die 2 Jul. 1701 (ut refert Bossius) quædam matrimonia nulliter contracta a quibusdam populis Indiarum vocatis *pocueles*, et *quartarones*, fuerunt sine novo consensu convalidata. » D. de Ligorio, *De matrim.*, n. 1116.

(15. « In hac autem re (prosequitur D. de Ligorio) maxime notandum id, quod declaravit Benedictus XIV in constitutione incip. *Etsi matrimonialis*, edita die 27 Sept. 1755: nempe cum accidisset casus, quod quidam vir, qui bona fide, sed in valide matrimonium contraxerat ob impedimentum occultum consanguinitatis, petebat illud convalidare, non tamen certiorata uxore propter scandalum separationis, quod timebatur, Pontifex petitioni indulisit, eodemque tempore declaravit quod casu, quo impedimentum oritur, non a lege naturali, aut divina... sed provenit a lege ecclesiastica, tunc bene potest Papa dispensare, ut matrimonium contrahatur sine novo consensu partis ignorantis impedimentum, habendo pro valido consensum præstitum ab illa in principio, ubi ex lege naturali erat consensus quidem validus; nam eo casu Papa aufert impedimentum in radice matrimonii, retrahendo contractum ac si ab initio impedimentum abfuisset. Hæc verba Pontificis:

« Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quæ a Romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando agitur de impedimento matrimonii ortum habente, non a jure divino, aut naturali, sed a jure ecclesiastico; et per eam non sit, ut matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonio contrahendi actu producti fuerunt. »

(16. « Cæterum, ubi non suppetit hujusmodi specialis dispensatio Pontificis, non discedendum a prima sententia; maxime quia in litteris S. Pœnitentiariæ in dispensationibus ad hujusmodi matrimonia revalidanda, apponitur sequens clausula: « Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeat. » Licet enim dicant Sanc. Bonæ. Tib. Nav. præfatam clausulam non apponi ut conditionem, sed ut simplicem instructionem... attamen probabilius docet Benedictus XIV (54),

potest, licet gravissima incommoda... interponatur. Siquidem illud Pœnitentiariæ mandatum innititur juri communi, quod pro matrimonio rite confirmando expostulat novum a conjugibus consensum, et declarari impedimentum ignaro... ne permaneat primus consensus cum errore conjunctus, qui traditus fuit, cum matrimonio primo celebraretur. »